

n. 41. et Vivianum *Commun. Opin.* lib. I. opin. 429, n. 10.

§ VI.

DE JURAMENTO NECESSARIO, SEU A JUDICE IN SUPPLEMENTUM PROBATIONIS DELATO, EJUSQUE REQUISITIS.

164. *Regula est, quod juramentum in probationis supplementum deferri possit.* — Quæritur I. An, et quando deferri, ac peti, possit juramentum necessarium, seu supplementum? Resp. I. Regula est, quod juramentum in probationis supplementum a iudice deferri possit. Ita Socinus in *Fallentiis*, reg. 204. subjungens postmodum octoginta fallentias dictæ regulæ, quæ ex dicendis melius patebunt, ne simul prolatae lectoris confundant memoriam.

165. *Potest istud iudex deferre non tantum ad petitionem partis, sed etiam ex officio.* — Resp. II. Juramentum necessarium, sive supplementum, potest iudex deferre non tantum ad petitionem partis; sed etiam ex officio suo, sive neutra parte patente, quodcumque ita expedire iudicaverit. Ita Abbas cap. ult. § *Sane*. n. 15. h. t.; Mascardus de *Probat.* concl. 998. n. 47; Alexander consil. 53. n. 5. lib. I, Fachineus lib. I. *Controvers. Jur.* cap. xvi; Gailus lib. I. *Pract.* observat. 108. n. 4; Pirhing h. t. n. 98 et alii; quamvis Bartolus in l. *Admonendi*. n. 60. et Baldus ibid. vol. ult. et Jason in *Repetit.* n. 316. ff. de *Jurejurand.* concludens, quod iudex ex officio suo non possit deferre hoc juramentum; sed illud de necessitate debeat peti: quia (inquiunt) iudex regulariter officium suum non debet imperiri, præsertim ad privatam partium utilitatem nisi fuerit imploratum, l. 4. § *Hoc autem, iudicium*. ff. de *Damno infecto*: unde imputet sibi pars, quod in processu causæ post dicta testificata sibi testamentum deferri non postulaverit; nam jura vigilantibus, non dormientibus scripta sunt, l. *Pupillus*. ff. *Quæ in fraudem credit*. Verum his non obstantibus.

166. *Idque probatur, iudex usque ad prolationem sententiæ delet cuncta rimari.* — Probatur conclusio ex cap. ult. § fin. h. t. ubi iudicii arbitrio relinquitur, inspectis personarum, et causæ circumstantiis, juramentum istud reo, vel potius actori deferre; ergo, si ita expedire viderit, poterit illud etiam ex officio, ac nemine petente deferre. Accedit,

quod iudex usque ad sententiæ prolationem debeat universa rimari, can. *Judicantem*. 30. q. 5. et c. *Cum Joannes*. 10. § *Ad hoc autem de fide instrument.* Ac rei veritatem plena inquisitione discutere, l. *Judices oportet*. c. de *Judiciis*. Et quodcumque æquitas postulaverit, durante iudicio partes interrogare, l. *Ubicumque* ff. de *Interrogation. in iure faciend.* Ergo etiam deferre juramentum parti, ut veritate melius probata iudicet.

167. *Solvitur instantia.* — Nec obstat ratio oppositæ sententiæ, seu quod iudex non imploratus non teneatur impendere officium suum; tum quia satis est, quod pars ab initio, vel processu imploraverit officium iudicis pro administratione justitiæ, inserta libello clausula illa salutari, quæ communiter adijci consuevit: « Peto mihi jus et justitiam administrari; » prout respondet Abbas cit. n. 15. et And. Gailus lib. I. *Practic.* observat. 108, n. 6. et 7. referens, ita fuisse practicum in camera; tum quia ex officio incumbit iudici, ut si quod dubium circa deducta in iudicium supersit, illud per interrogaciones, et alios modos suppleri, et tolli procuret; ut jam dictum, ac notat Pirhing h. t. n. 98.

168. *Potest pars litigans petere delationem juramenti necessarii, dummodo petitio illa concipiatur impersonaliter.* — Per hoc tamen non negatur, quin etiam pars litigans possit petere delationem juramenti; dummodo petitio illa concipiatur impersonaliter, non autem concludendo, ut sibi deferatur. Et hujus limitationis ratio est: tum quia ad arbitrium iudicis pertinet inspicere, utrum reo, vel actori potius illud sit deferendum, cap. ult. § *Sane*, h. t. Tum quia, si quis personaliter peteret sibi deferri juramentum, hoc ipso redderet se suspectum; prout etiam testis sponte se ingerens, sese suspectum reddit. *Quæ omnia* § *Sed et si* ff. de *Procurat.* Abbas loc. cit. n. 15. et nonnulli alii apud Mascardum d. concl. 958. n. 57. Quamvis hoc ultimum neget Fachineus cit. lib. I. *Controvers. Jur.* cap. xvi in fine. et Pirhing h. t. n. 78. eo quod lege permittente possit quis petere delationem juramenti sibi fieri pro causæ debitæ decisione. Verum prudentius agi, si juramentum petatur impersonaliter, seu conditionaliter, in quantum expediat, censet cum aliis Mascardus, ubi supra. n. 58. et 59.

169. *Et fiat ante conclusionem in causa.* *Judex tamen potest in juramentum necessarium deferre usque ad probationem sententiæ, quando*

ita expedire iudicaverit. — Resp. III. Etsi pars litigans, si petere voluerit delationem juramenti, eam petere possit usque ad conclusionem in causa et non amplius postea: nihilominus iudex ex officio potest juramentum necessarium deferre, quando ita expedire iudicaverit, etiam postquam a partibus conclusum fuit in causa, et usque ad prolationem sententiæ. Ita Jason in *Repetit.* l. *Admonendi*. n. 318. ff. de *Jurejurand.*; Gailus lib. I. *Practic.* observat. 108, n. 1 et 4; Mascardus cit. concl. 958, n. 50 et 55; Pirhing h. t. n. 99. cum communi. Ratio prioris partis est, quia per conclusionem in causa renuntiat posterioribus probationibus, et partibus os clauditur; ergo post dictam conclusionem nequit amplius pars petere delationem juramenti, cum hoc sit species quædam probationis: nisi forsitan hujusmodi juramentum supplementum jam antea fuisset petitum. Altera vero pars ex eo liquet: quia quoad iudicem nunquam censetur conclusum in causa, quin possit ex officio novas probationes admittere, vel eas partibus injungere, c. *Cum Joannes*. 10. § *Ad hoc autem de fide instrument.* estque uberius dictum tit. XIX. de *Probationibus*. § 6, n. 159, 161 et seqq. et 170. ubi ex professo agitur de conclusione in causa, et novis probationibus post eam regulariter non admittendis.

170. *Sed parte adversa præsentate, seu citata et causa cognita.* — Solum his addendum est, quod inter alia requisita delationis juramenti necessarii in supplementum, etiam unum sit, ut illud a iudice deferatur parte adversa præsentate, vel saltem citata, et interesse nolente; simulque causa cognita. Alexander consil. 122. n. 13. lib. II; Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. actu 9. n. 41; Mascardus, cit. concl. 958, n. 60, allegans plures alios: et concordant dicta superius tit. XX. de *Testibus* § 13. n. 418 et seqq. ubi hoc ipsum de productione, ac receptione testium dictum fuit. Accedit textus in l. *In bonæ fidei*. c. de *Rebus credit.* ibi. « Inopia probationum, per iudicem jurejurando causa cognita res decidi oportet; » junctis dictis supra n. 162.

171 et 172. *Ad delationem juramenti necessarii requiritur, quod deficiant aliæ legitimæ probationes.* — Quæritur II. Utrum, et qualiter ad delationem juramenti necessarii requiratur, quod præcesserit semiplena probatio? Resp. I. Ad hoc, ut juramento necessario, ejusque delationi in supplementum locus sit, requiritur comprimis, quod

deficiant aliæ legitimæ probationes, simulque negotium saltem semiplene sit probatum. Ita Glossa c. *Ex insignificatione*, vers. *Clerici de Procurat.*; Joan. Andreas in c. *Sicut*. n. 2. et 3. et Hostiensis ibid. n. 2. et Fagnanus n. 3. de *Probation.*; Socinus loc. cit. *Fallent.* 54. et seqq.; Jason l. *Admonendi*. n. 75. et in *Repetit.* ibid. n. 34. ff. de *Jurejur.*; Menochius, lib. I. de *Arbitrar. judic. cas.* 190. n. 2. Barbosa. *Collectan.* ad d. c. *Sicut*. n. 4. et seqq. de *Probation.*; Mascardus de *Probat.* concl. 938. n. 3. et seqq. cum communi.

Prior pars patet ex c. *Sicut*. h. t. ubi decisum reperitur, quod « tunc demum ad hujusmodi (juramenti) sibi suffragium recurendum, cum aliæ legitimæ probationes deesse noscuntur: » estque proxime dictum n. 109. et 110. Accedit ratio: quia probatio illa, quæ habetur ex juramento, est probatio privilegiata; hoc est, in defectu aliarum probationum facta ex testimonio suo in propria causa, contra regulas communes. « Ne quis in propria causa » etc., juxta dicta n. 151. ergo hoc ipso, quamdiu possunt haberi aliæ legitimæ probationes, locum non est huic juramento, utpote deferendo duntaxat in supplementum, seu defectum aliarum probationum. Concordat textus in l. *In bonæ fidei*. c. de *Rebus creditis*: ubi dicitur, « quod inopia probationum (emergente, ut explicat Glossa) per iudicem jurejurando causa cognita res decidi oportet. »

173. *Ac præcesserit semiplena probatio.* — Altera vero pars, requirens ad delationem juramenti supplementarii, quod negotium saltem semiplene sit probatum, communiter post Glossam cit. l. *In bonæ fidei*. vers. *Decidi*. c. de *Rebus credit.* suadet ex eo. Quia si actor nihil probavit, absolvendus est reus, etiamsi is nihil præstiterit, l. *Qui accusare*. c. de *Edendo*. et c. *Cum Ecclesia* fin. de *Causa possess.* unde nec opus est, quod tunc reus juret. Si autem actor plene probavit, reus est condemnandus, cit. c. *Sicut*. n. 2. et c. *In præsentia*. 8. de *Probation.* ac proinde etiam in hoc casu non est locus juramento supplementario. Remanet proinde, quod tunc possit deferri juramentum necessarium, sive in supplementum, quando præcesserit semiplena probatio, v. g. per unum testem omnium exceptione majorem; simulque aliæ legitimæ probationes haberi non possint. Prout est casus in c. *Ex insinuatione* 3. de *Procuratorib.* ubi archidiacono, qui duobus clericis præsentibus procuratorem suum sese revo-

casse dixerat, istud tamen, cum alter de prædictis clericis jam obiisset, plene probare non poterat, defertur juramentum in supplementum; adeo, ut pontifex mandaverit, standum esse juramento ipsius archidiaconi, et superstitis clerici. Idem ergo dicendum in aliis hujusmodi casibus.

174. *Ob solam præsumptionem levem non potest illud actori deferri.* — Resp. I. Ob solam præsumptionem levem, seu quæ prudenti arbitrio judicis est minor semiplena probatione numquam potest actori deferri juramentum istud in supplementum. Ita Glossa in l. 3. vers. *Si levior*, ff. de *Minorib.* Abbas cap. ult. § *Sane*, n. 8. h. t. quamvis addat conformiter illi textui, quod tunc, si videbitur judici, possit reo deferri juramentum ad purgandam illam præsumptionem. Socinus de *Fallentiis* reg. 204, fallent. 70; Jason in *Repetit.* l. *Admonendi*, n. 75, ff. h. t. et alii. Ratio est: quia istud juramentum supplet, et facit perfectam seu plenam probationem; ergo oportet, quod præcesserit semiplena.

175. *Secus, quando ipsa facit semiplenam probationem.* — Nec obstat Glossa c. *Tam literis*, v. *Probata de Testib.* Bartolus in l. *Admonendi*, § 5. *Post dubitationem autem* ff. de *Jurejurand.* Alexander consil. 58, n. 6. vol. I. Baldus post Jo. Aretin. in l. *Si fundum*, ad fin. c. de *Rei vindicat.* qui volunt, quod si actor habeat pro se præsumptiones, vel conjecturas, juramentum istud sit deferendum in supplementum. Resp. enim, Glossa præallegatam loqui in casu, quo « Actor habet bonam præsumptionem pro se » hoc est, non levem duntaxat, sed talem, quæ faciat semiplenam probationem, ex variis indicis arbitrio judicis desumptam habito respectu ad qualitatem personæ, et causæ, » cap. ult. de *Jurejurand.*; Bartolus etiam loc. cit. § *Videnda sunt ergo exempla*, etc. clare se declarat, quod antea locutus fuerit de conjecturis semiplenam probationem facientibus, quarum postea adducit exempla. Atque eodem modo intelligendi sunt cæteri auctores, vel certe relinquendi, retenta communi aliorum sententia, quod propter levem præsumptionem nunquam a judice sit deferendum juramentum in supplementum probationis: possit tamen istud in causis civilibus deferri propter bonam, seu vehementem præsumptionem; hoc est, propter tales conjecturas atque indicia, quæ faciunt semiplenam probationem.

176. *Præsumptio quando faciat semiplenam probationem judicis arbitrio relinquitur.* —

Verumtamen quando indicia, seu conjecturæ, atque ipsa præsumptio sit tam vehemens, ut semiplenam probationem faciat, judicis arbitrio relinquendum erit. Jason cit. n. 75; Menochius d. lib. II. cas. 190. n. 3. et concordant dicta superius tit. præced. § 1. n. 17. et alibi, prout ibidem notatur.

177. *Probatio per unum testem omni exceptione majorem, potest suppleri præstatione juramenti necessarii: secus, quando is non est major omni exceptione.* — Resp. III. Quamvis probatio facta per unum testem de visu deponentem, atque omni exceptione majorem, possit suppleri per præstationem juramenti necessarii, seu in defectum aliarum probationum a judice delati: secus tamen dicendum, quando testis ille non est major omni exceptione: ut puta, quia est consanguineus, aut multum amicus parti, vel malæ conversationis, infamis, aut alias suspectus. Ita Abbas cap. ult. § *Sane*, n. 12. h. t.; Bartolus l. *Admonendi*, circa fin. ff. h. t.; Socinus, cit. reg. 204, fallent. 54; Mascardus concl. 958, n. 9 et 10 cum aliis. Et quidem prima pars patet ex c. *Ex insinuatione*, 3. de *Procuratorib.* et aliis hactenus dictis. Altera vero pars suadetur ex eo; quia testis ille consanguineus parti, vel infamis, aut hujusmodi, non est testis omni exceptione major sicque hoc ipso non facit semiplenam probationem; ergo nec defertur juramentum in supplementum ratione sui testimonii, cum exinde non possit consurgere plena probatio sicque juramentum illud non nisi frustra deferretur.

178. *Non defertur juramentum necessarium, quando contra semiplenam probationem urget probatio contraria; per quam debilitatur.* — Resp. IV. Insuper non defertur juramentum suppletorium, ubi contra semiplenam probationem urget econverso aliqua probatio, vel præsumptio contraria: quia tunc probatio illa cæteroquin semiplena extenuaretur, atque enervaretur, sicque non remaneret talis; ac proinde foret insufficientis pro delatione hujus juramenti. Ita Glossa in l. I. vers. *Non sit*, c. *Qui et adversus quos*, etc. Jason in *Repetit.* l. *Admonendi*, n. 24, ff. h. t.; Socinus cit. reg. 204, fallent. 61; Mascardus, ubi supra, n. 23. post Rotam decis. 19. de *Dolo et contumac.* in nov. et plurimos alios.

179. *Secus, si non debilitetur. Hinc defertur illud ex depositione testis reddentis rationem dicti sui, etiamsi habeat contra se alium testem non reddentem rationem.* — Secus dicendum,

ubi semiplena illa probatio non debilitaretur. Hinc defertur juramentum in supplementum ex depositione unius testis omni exceptione majoris, ac reddentis rationem dicti sui, etiamsi habeat contra se alium testem non reddentem rationem: quia talis nihil probat, sicque per eum non debilitatur depositio alterius testis cum ratione. Farinacius de *Testibus*, quæst. 70. n. 20; Felinus c. *Cum causam*, n. 4. vers. *Fallit quarto*, de *Testib.* post. Baldum l. *De quibus*, de *Legib.*

180. *Ut juramentum necessarium cuiquam deferatur, requiritur legalitas personæ.* — Quæritur III. Quid sentiendum sit de legalitate personæ, ad delationem juramenti necessarii requisita? Resp. I. Ad hoc, ut cuiquam deferatur a judice juramentum necessarium, sive in supplementum probationum, requiritur etiam legalitas personæ: hoc est, quod persona illa, cui deferendum est juramentum, sit honesta, et fide digna: non autem sit vilis, infamis, seu talis, quæ secundum leges a ferendo testimonio repellitur. Ita Abbas cap. ult. § *Sane*, n. 9. h. t.; Bartolus in l. *Admonendi*, n. 58; et Jason ibid. n. 113, ff. de *Jurejurand.*; Socinus cit. reg. 204, fallent. 43. et seqq.; Maranta part. VI. *Speculi aurei*, actu. 9. seu de *Juramento*, n. 5. et 6; Fagnanus c. *Sicut*, n. 6. de *Probat.*; Menochius, lib. II. de *Arbitrar. judic.* cas. 190. n. 11; Mascardus de *Probat.* concl. 958, n. 66. et seqq. allegans alios. Ratio est, quia juramentum necessarium, seu delatum a judice in supplementum succedit loco testis, ut loquitur Jason cit. n. 113. post Cynum l. *In bonæ fidei*, in quæst. 7. c. de *Rebus creditis*, Bartolus, Baldum, et alios; ergo, qui secundum leges repelluntur a ferendo testimonio in judicio, multo fortius repelluntur ab isto juramento, utpote quo tota lis decidenda foret.

181. *Unde non defertur infami, usurario, perjuro, etc.* — Unde juramentum in supplementum non defertur infami infamia juris, vel facti, usurario, Judæo, nec ei, qui semel pejeravit, nec inimico gravi inimicitia, nec concubinario; nec pauperi suspecto de perjuro, nec ulli alteri, qui ratione maculæ, seu vitii, aut defectus repellitur a testificando: de quibus fuse dictum est supra tit. XX. de *Testibus*, § 2. et seqq. ac notant doctores proxime relati, et alii.

182 et 183. *Bene tamen mulieri, et consanguineis amicis.* — Secus dicendum de illis, qui repelluntur a testimonio ratione sexus: ut mulieres, quæ licet non admittantur ad

testimonium in testamentis, causisque feudilibus, juxta dicta cit. tit. XX. n. 88, 89, et 90. potest nihilominus etiam mulieribus hoc juramentum deferri, ut notat Mascardus cit. concl. 958, n. 69. et n. 34, allegans Rotam apud Puteum decis. 430, lib. II. et Jason in *Repetit.* l. *Admonendi*, n. 298. et 299. ff. h. t.

Idem dicendum de illis, qui repelluntur a testimonio in judiciis ratione solius reverentiæ, seu consanguinitatis, affectionis, aut commodi: quia enim probatio, quæ per juramentum suppletorium quandoque conceditur, est irregularis, et privilegiata; eo quod singulari quodam jure admittatur contra regulas communes. « Ne quis sit testis in propria causa, » etc. dum vi hujus juramenti potest reddi testimonium in causa propria: non est quærendum de consanguinitate, amicitia vel commodo ejus, qui istud juramentum est præstiturus, dummodo cæteroquin sit persona honesta, fideque digna, neque aliud quid obstet. Mascardus loc. cit. n. 70. post Joan. Bapt. Caccialupum in l. *Admonendi*, n. 52. ff. h. t.

184. *Ut juramentum suppletorium cuiquam deferatur, necesse etiam est, ut sciat veritatem rei per sensum corporeum.* — Resp. II. Ut juramentum suppletorium cuiquam per judicem deferatur, necesse etiam est, ut is verisimiliter existimetur nosse veritatem rei per veram scientiam, seu proprium sensum corporeum. Ita Glossa l. *In bonæ fidei*, v. *Decidi*, ff. de *Rebus creditis*, istud probans ex l. *Jusjurandum et ad pecunias*, ff. de *Jurejurand.* et l. *Marcellus*, § *Qui rerum*, ff. de *Action. rerum amotar.*, Bartolus in l. *Admonendi*, n. 57; et Jason in *Repetit.* ibid. n. 312, ff. h. t.; Mascardus d. concl. 958, n. 61, et seqq.; Maranta cit. part. VI. *Speculi aurei*, actu. 9. n. 5. et alii. Ratio est, quia hoc ipsum exigit legalitas personæ in jurante requisita; nam apertum foret periculum perjurii, si quis cogeretur juramentum de veritate, quale est juramentum suppletorium, deponere quoad illam rem, cujus veram notitiam per sensum corporeum non habet. Accedit, quod juramentum istud æquiparetur testi, utpote cum quo constituit plenam probationem, seu sufficientem ad decisionem causarum: atqui testis non probat, nisi deponat de veritate per proprium sensum corporeum, can. *Testes*, 3. q. 9. et l. *Testium*, c. de *Testib.* ergo nec jurans, nisi deponat de proprio sensu.

185. *Hinc illud non defertur hæredi super facto defuncti. Nisi verisimiliter præsumatur*

scire factum defuncti per proprium sensum; ut filius. — Et hinc fit, quod juramentum in supplementum non deferatur hæredi super facto defuncti: quia videlicet istud verisimiliter ignorare præsumitur, sicque subintrat periculum perjurii. Patet hoc ex cit. l. *Marcellus*. § *Qui rerum*. ff. *de Action. rer. amotar.* ubi sic habetur: « Pater autem amoventis jurare non cogitur; cum iniquum sit, de alieno facto alium jurare. Is ergo cogitur jurare, qui amovisse dicitur: et idcirco nec hæres ejus, qui quæve amovisse dicitur, jurare cogitur. » Hæc ibi. Adeo, ut non sufficiat, habere notitiam aliunde, puta per famam, vel confessionem extrajudicalem adversarii: quia, ut cuipiam istud juramentum deferatur, necesse est, quod præsens interfuerit facto; sciatque veritatem per proprium sensum, arg. l. *Generaliter*. § 1. juncta Glossa vers. *A principali*. et Baldo ibid. c. *de Rebus creditis*. ac notat Alexander consil. 73. n. 13. lib. III; Jason cit. n. 312; Mascardus d. concl. 958; n. 63. et 64. ubi istud procedere inquit in hærede extraneo: secus in filio, vel alio conjuncto hærede, qui verisimiliter præsumitur scire factum defuncti per proprium sensum, sicque ipsi posset deferri juramentum in supplementum.

186. *Ad delationem juramenti necessarii etiam requiritur parvis materia. Istud non deferendum in causis arduis, magnique præjudicii, sed duntaxat in moicis; et cur?* — Queritur IV. An ad delationem juramenti necessarii etiam requiratur parvitas causæ? Resp. I. Juramentum istud non est deferendum parti a judice in causis arduis, magnique præjudicii, sed duntaxat in parvis, sive modicis. Ita Glossa in cap. ult. vers. *In probatione*. et canonistæ ibid. h. t. et alia Glossa in l. *Admonendi*. § *Exacto*. et Bartolus ibid. § *Viso ergo quando*. Et Jason n. 272. ff. *de Jurejur.* Alexander consil. 180. n. 7. lib. VI. Maraata cit. actu 9. n. 7; Menochius lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 190 n. 18; Mascardus cit. concl. 958. n. 30 Barbosa c. *Sicut*. n. 44. et seqq. *de Probat.* et alii. Ratio est, quia in modicis non est præsumptio, quod pro tanto quis velit delinquere, aut pejerare. c. *Etsi questiones*. 18. § fin. *de Simonia*, juncta Glossa ibid. v. *Modici pretii*, et alia Glossa in c. *Statutum*. § *Insuper*. § *Consumi de Election.* in 6. sicque tunc deferitur juramentum istud. Secus dicendum in causis arduis, magnique momenti, utpote in quibus ob avaritiam hominum majus urget periculum per-

jurii, gravisque præjudicii proximo injuste inferendi. Accedit, quod in causis criminalibus criminaliter motis (quibus æquiparantur causæ civiles arduæ, magnique præjudicii, juxta dicta tit. XX. *de Testibus*. § 3. n. 81.) ad reum condemnandum requirantur probationes apertissimæ, ac luce meridiana clariores, l. *Sciant. cuncti*. c. *de Probat.* cum similibus: atqui talis probatio luce meridiana clarior, non est juramentum supplementarium; cum non reddat rem penitus indubitam, imo nec sit legitima aliqua probatio, juxta dicenda, n. 211.

187. *Quæ causæ censeantur modicæ, et quæ magnæ seu arduæ?* — Cæterum causa ardua, magnique præjudicii, merito censetur ea, quæ est unius hæreditatis, vel omnium bonorum, aut majoris partis horum, arg. l. *Propter litem*. § 1. ff. *de Excusat. tutor.* estque jam dictum supra tit. XX. *de Testibus*. § 3. n. 81. Alioquin vero, quænam causa censeatur modica, et quæ magna, id inspecta qualitate causæ, atque personarum, judicis arbitrio relinquitur decidendum: nam v. g. causa ducentorum florenorum inter duos reges censeretur modica, et parva, sed inter duos cives reputaretur magna. Bartolus in l. *Admonendi*. § *Sed est advertendum*. et Jason in *Repetit.* ibid., n. 272, ff. h. t.; Menochius cit. cas. 190. n. 17; Mascardus d. concl. 959. n. 13; Pirhing h. t., n. 96. et alii. Insuper inter causas arduas recensentur causæ criminales, et causæ spirituales, puta, matrimoniales, beneficiales, et nonnullæ aliæ, de quibus infra n. 216. 217. et seqq.

188. *Limitatur illud, quando fuit plus quam semiplene probatum, quia tunc juramentum in supplementum deferitur etiam in causis arduis.* — Resp. II. Patitur nihilominus data conclusio limitationem, quando fuit plus quam semiplene probatum, quia tunc juramentum in supplementum deferitur etiam in causis arduis, magnæque quantitatis, dummodo persona sit honesta, arg. l. ult. ff. *De eo, quod metus causa*, etc. Ita Glossa fin. c. *Viduas. de Regularib.*; Mascardus d. concl. 958. n. 33, Jason in *Repetit.* l. *Admonendi*. n. 281. ff. *de Jurejurand.* istud intelligens, quando ultra semiplenam probationem aliquid esset adductum, vel adesset aliqua alia præsumptio, aut produxisset quis duos testes, quorum unus non esset integer: quo casu saltem haberetur plus quam semiplena probatio; ac proinde, si persona cæteroquin sit honesta, potest ei judex etiam in causa ar-

dua, seu gravi, deficientibus aliis probationibus deferre juramentum necessarium, per textum cap. ult. § *Sane*. h. t. Id ipsum tradunt Joan. Gutierrez tract. *de Matrimonio*, cap. xxxviii. n. 4; Alexander consil. 76. n. 6, lib. VI; Barbosa cit. c. *Sicut*. n. 45. *de Probat.*; Pirhing h. t. n. 96; Gailus lib. I. *Practic.* observat. 108. n. 11; Franciscus Herculanus, tom. IV. *Tractatum*, tract. *de Negativa probanda*. n. 255. pluresque alii ab his allegati.

189. *Et quid in causis criminalibus?* — Addit idem Herculanus cit. n. 233. et Mascardus, ubi supra, n. 34. etiam in causis criminalibus deferri hoc juramentum, quando est plus, quam semiplene probatum. Quamvis istud in praxi non facile se admissurum, si agatur de pœna corporali etiam leve imponenda, sed solum ubi reo deberet imponi pœna pecuniaria, fateatur Jul. Clarus in *Pract. crimin.* § fin. quæst. 63. n. 2. et 3. Concordant dicenda inferius. n. 212. et seqq. ubi plura de hoc.

190. *Limitatur etiam, quando non agitur ad totam intentionem actori fundandam, sed solum ad declarandam obscuritatem.* — Limitatur ulterius dicta conclusio, quando non agitur ad totam intentionem actoris fundandam, sed solum ad declarandam obscuritatem fundamenti adjuvantis dictam intentionem: quia tunc juramentum in supplementum deferitur etiam in causa magna. Card. Tuschus litt. I. concl. 540. n. 82. citans Baldum consil. 297. n. 3, lib. III. et Barbosa, ubi supra, n. 45.

191. *Cuinam parti judex deferre debeat juramentum necessarium? Cæteris paribus illud reo potius est deferendum.* — Queritur V. Cuinam parti judex deferre debeat juramentum necessarium, num actori in supplementum suæ probationis, vel potius reo ad purgationem sui, seu ad ostendendam suam innocentiam? Resp. I. Cæteris paribus, reo potius deferendum est istud juramentum, non actori. Ita Glossa in l. *Admonendi*. § *Exacto jurejurando*. ff. h. t. enumerans plures casus, in quibus actori deferitur juramentum; et subjungens, quod ubi reus ita est honestus ut actor, et summa non est modica, deferatur reo juramentum. Speculator tit. *de Juramenti delatione*, n. 9. referens nonnullas alias doctorum sententias, sed hanc appellans veriorrem. Abbas cap. ult. § *Sane*. n. 9. h. t. et Barbosa in *Collectan.* ibid. n. 6; aliique canonistæ passim; Mascardus *de Probat.* quæst.

procem. 9. n. 53; Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II, cas. 190, n. 19, asserens, istud lexem habere dubitationem.

192. *Idque probatur.* — Conclusio hæc clare desumitur ex cit. cap. ultim. § *Sane*. h. t. ubi dicitur: « Sane si actor omnino in probatione defecerit, reus debet, etsi nihil præstiterit, obtinere. Præsumptione vero faciente pro illo (videlicet pro actore, ut explicat Glossa) reo deferri potest ad ostendendam suam innocentiam juramentum: nisi judex (inspectis personarum, et causæ circumstantiis) illud actori videat deferendum. » Hæc enim verbis regula statuitur pro reo, quæ tamen limitatur, quando judici inspectis personarum et causæ circumstantiis, aliud videtur faciendum. Atqui talis limitatio nequit subsistere, ubi cætera supponuntur esse paria: puta, quia actor semiplene probavit suam intentionem, et reus suam defensionem, estque æqualis conditio, atque legalitas utriusque; ergo. Accedit ratio: quia, ut habet reg. 11. juris in 6. « Cum sunt parium jura obscura, reo favendum est potius quam actori: » ac proinde illi deferendum est juramentum supplementarium, ad ostendendam suam innocentiam. « Nam favorabiliores rei potius, quam actores habentur, » ut dicitur l. *Favorabiliores*. ff. *de Reg. jur.*

193. *Solvuntur contraria.* — Dices. In relato cap. ult. § *Sane*. h. t. solum dicitur: « Reo deferri potest ad ostendendam suam innocentiam juramentum, » etc.; ergo si tantum potest, necessario debet istud regulariter deferri reo. Confirmatur hoc ipsum ex cap. ult. *de Testib.* in 6. nam ibi loquendo de delatione juramenti necessarii, solius actoris fit mentio, illis verbis: « Neque indistincte ipsi appellanti deferatur juramentum; sed tunc, cum inspectis personarum, et ipsius causæ circumstantiis id fuerit faciendum. » Resp. neg. consequent. Quia in priori textu, ut notat Abbas ibid. n. 3. ideo ponitur ly « Potest, » eo quod judex non semper teneatur de necessitate deferre juramentum, etiam præsumptione faciente pro actore; sed ipse habeat istud arbitrari, consideratis personarum et causæ circumstantiis. Ad cap. ult. *de Testib.* in 6. dicitur, ibidem solum corrigi judicem, qui indistincte juramentum detulit appellanti, seu actori: et sic in effectu providetur ibi, prout habetur cap. ultim. h. t. videlicet juramentum necessarium non esse deferendum actori, nisi spectatis personarum, et causæ circumstantiis, ita judicis